

Waffrido osculans Acnionem et pluribus aliis, tam A
suorum quam nostrorum. »

CAPITULUM XXVII.

De furno Bruerolis.

(Ante a. 1088.)

« In nomine sanctæ et individue Trinitatis, Pa-
tris et Filii et Spiritus Sancti. Omnibus sanctæ Dei
æcclesiæ fidelibus, tam præsentis quam futuri ævi,
notum esse volo ego Landricus, filius Gisleberti,
una cum uxore mea Hildeburgi, filiis atque filiabus
meis, quia medietatem furni qui situs est in vicò
Bruerolensi, quam olim quidem Arnaldo monacho pro
XXV solidis nummorum inwadiaveram; nunc, in-
quam, pro anima mea et antecessorum meorum at-
que successorum animabus, annuente domino meo
Warino de Islo, ex cujus beneficio eandem partem B
furni tenere videor, necnon et Symone, filio ejus,
sancto Petro, apostolorum principi, cœnobii Carno-
tensis, cui præest Eustachius abbas, et sancto Ger-
mano concedo jure perpetuo, ut habeant, teneant et
possideant, ab hac die in antea, sine ulla calumpnia

(238) Manca est charta illa, cujus finem reperies
in parte II, lib. IV. In hoc cod. B, librarius, post istam
chartam transcriptam, paginam complevit sub-
scriptionibus ad aliam chartam pertinentibus, quæ
sic habentur : *Hi sunt testes ex dono molendini
quem dedit G. filius N. sancto Petro : ipse G. ; Ade-
lina, uxor ejus ; Amalricus et Simon, filii ejus ; Phi-
lipa, filia ejus ; Gualterius de Trotto, Gualterius de*

sancti Petri monachi. Pro hac itaque re a Gaufrido
monacho, prænomine Wischardo, L solidos nummo-
rum accepi; et uxor mea, nomine Hildeburgis, te-
ristrum unum duorum solidorum filiique mei, Isnar-
dus et Radulfus, singuli singulas crepidas; necnon
et filia mea Adelina, quam dedi Rainaldo militi, cui
etiam prædictam furni partem dederam, anulum au-
reum; Warinus quoque, dominus meus, X solidos,
et filius ejus tantumdem. Has autem litteras fieri
volui ad memoriam posterorum; atque Drocis ca-
stro VIII kalendas aprilis publice corroborando asti-
pulavi; ut, si quis unquam heredum meorum his
contradicere conatus fuerit, cogatur prius fisco re-
gis auri libras persolvere XXX, denuo conatus ejus
inefficax permaneat; et si pertinax fuerit, excom-
municationis baculo feriatur, donec resipiscat. Nos-
que et parentes nostri, cum domno nostro Guarino,
pro hoc facto, fratrum orationibus semper frui me-
reamur. Testes hujus rei etiam subscribere curavi-
mus. S. domni Hugoni. S. Gisleberti de Tilerias (238). »

*Bocinco, Urso de Tinniacò Valle, Erchenbaldus de
Geremari Villa, Radulfus de Sibriaco, Bernerius de
Ebriaco, Milo presbiter, Ernaldus abbas, Johannes
de Saliciolo, Raimbaldus. Ex nostris : Marcoardus
presbiter; Algerius, frater ejus; Bodo, Richerius, Ad-
ventus, Laurentius; Berengerius et Johannes, frater
ejus; Herlebaldus, Richardus....*

EPITAPHIUM LANDRICI ABBATIS

Auctore, ut videtur, PAULO monacho

(MABILL., *Annales ordinis S. Benedicti*, tom. IV, lib. LXII, n. 83, p. 668.)

Huc flectens oculos paulum subsiste, viator,
Disceque quis fuerit, quem tumulus tegit hic.
Hæc corpus parva Landrici continet urna,
Nostri pastoris et Patris eximii.
Vivere dum quivit, subjectos qui bene rexit,
Ostendens factis, quod docuit monitis.
Mitibus exstitit hic clemens, pius atque benignus;
Inflatos spernens, fortiter hos reprimens.
Vir bonus et prudens ad grandem vexit honorem
Hanc sibi commissam digniter Ecclesiam :
Ter denis et ter binis cui præfuit annis.
Tunc caput extulit hæc, post similis viduæ.
Exiit hic hominem, sanctus sicut Leobinus.
Cujus Mars festum monstrat adesse diem.
Pax tibi sit, Landrice Pater, requiesque perennis :
Cunctis cum sanctis gaudia jam tibi sint. Amen.